



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

**Parisiis, 1644**

Epistola XXXI. Gregorii Papae I. Ad Philippvm Comitem Excvbitorvm.  
Causas Italiae commendat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15221**

EPISTOLA XXXI.

GREGORII PAPÆ I.

AD PHILIPPVM COMITEM EXCVBITORVM.

Causas Italiae commendat.

*Gregorius Philippo comiti excubitorum.*

**I**N QVANTVM homo discutere & inuestigare iudicia su-  
perna non sufficit, intantum sub eis debet ceruicem cor-  
dis inflectere: & quia id quod sibi tribuitur, quo iudicio  
disponatur ignorat; nec ad appetendum locum procax  
insistere, nec ad repellendum contumax debet inueniri.  
Vnde indignus ego ad suscipienda episcopatus onera iuf-  
sioni omnipotentis Dei vestraeque me voluntati subdidi:  
cui me praesse largitate magis gratiae quam iudicii exti-  
matione voluistis. Potens est enim Deus, propter quem  
me indignum diligitis, hanc vobis in perpetuum compen-  
sare mercedem, vt gratiam quam indignis famulis eius im-  
penditis, apud eum inuenire multiplicius valeatis. Causas  
vero Italiae vestrae quaeso excellentia habeat commenda-  
tas, vt dum vos petentibus libenter impenditis, omne  
quod a Deo petitis quantocitius impetretis.

Ioan. diaconus.  
libro 1. cap.  
53.

EPISTOLA XXXII.

GREGORII PAPÆ I.

AD ROMANVM EXARCHVM.

Vt Blandum episcopum suae ecclesiae libere restituat.

*Gregorius Romano patricio & exarcho Italiae.*

**S**CRIBENDI ad excellentiam vestram si causa omnino  
nulla suppeteret, nos tamen esse oportet caritate pa-  
terna de vestrae salutis incolumitate sollicitos, vt quod de  
vobis audire cupimus, internuntiorum frequentia cog-  
noscamus. Praeterea peruenit ad nos, Blandum episco-  
pum Hortensis ciuitatis longo iam tempore in ciuitate  
Rauennate a vestra excellentia detineri. Et fit vt ecclesia  
sine rectore, & populus quasi sine pastore grex consistens  
defluat, & ibidem infantes pro peccatis absque bap-  
tismate moriantur. Et rursus quia non credimus quod  
eum excellentia vestra, nisi pro aliqua probabilis excessus

*Concil. Tom. 13.*

Bb ij